



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

3. De duabus diuisionibus & regulis antepredicamentalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

ipsam vniuocum analogum ad differentiam vniuocorum dicentium vnam rationem determinatam abstractam ab inferioribus; secundo dicendo quod sit æquiuocum analogum ex eo, quod non significet aliquam vnam rationem sic abstractam & determinatam: si primo modo discutatur, tollitur vis obiectionis, quia quando dicimus, quod analogum requiritur plures impositiones, id intelligendum est de analogis æquiuocis, non de analogis vniuocis, quale est indiuiduum iuxta hunc philosophandi modum, & idem est de differentia vt sic, & natura specifica vt sic, ac aliis similibus: si teneatur secundus modus, dicendum est, quod omnia analogia proportionis non requirant diuersam impositionem, sed illa quæ per se primo significant vnam rationem, & alia significant propter proportionem cum illo primo.

Differentia
inter ana-
loga pro-
portionis
& alia.

Si autem quæras, quomodo possit discerni inter huiusmodi analogia proportionis, & illa alia: *Respondeo* differentia esse facilem, nam explicatio nominis analogi, quod per se primo significat vnum ex analogatis, & secundario alia, propter proportionem, quam habent cum illo primo, erit omnino diuersa, nam si volo explicare quid sit leo, vt dicitur de animali irrationali sic dicto, de beo dicere, quod sit animal rugibile; si volo autem explicare ipsum, vt dicitur de Christo, de beo dicere, quod sit aliqua persona summæ fortitudinis & superioritatis; aut aliquid simile: quæ explanationes sunt diuersissime, & sine vlla proportionem, aut similitudine: illud vero analogum, quod æque primo & vnica impositione significat sua analogata, habet eandem vocalem explanationem, vt dicitur de quolibet ex illis, vt patet in illo exemplo de indiuiduo, & differentia, & natura specifica: eodem enim modo explicari debet Petrus, quatenus est indiuiduum; & Paulus, quatenus est tale indiuiduum.

QVÆSTIO III.

De duabus diuisionibus & regulis antepredicamentibus.

Prima di-
uisio ante-
predica-
mentali.

Philosophus c. 2. huius libri fecit mentionem de duabus diuisionibus, quarum prima est: *Eorum, quæ dicuntur, alia sunt complexa vt homo currit, alia incomplexa, vt homo*: & hæc sane diuisio potest accommodari rebus, si intelligatur sic, quod rerum, aliquæ sunt complexæ, vt illæ, quæ duobus conceptibus debet concipi, aliquæ vero incomplexæ, vt quæ vno tantum conceptu apprehendi quærent. Potest etiam accommodari vocibus, si intelligatur sic, quod vocum aliquæ sint, quæ significant res complexas, aliquæ quæ res incomplexas.

Secunda diuisio conuenit rebus simplicibus, seu incomplexis, scilicet: *eorum quæ sunt alia de subiecto dicuntur* (id est essentialiter predicantur) *in nullo vero subiecto sunt* (id est non habent aliquod subiectum inhesionis, cui inhæreant) vt homo, qui predicatur essentialiter de Petro, & tamen non inhæret Petro, nec vlli alteri: & huiusmodi sunt omnes substantiæ secundæ, seu vniuersales. *Alia vero in subiecto sunt* (id est inhærent alicui subiecto) *de nullo vero subiecto dicuntur* (id est non predicantur essentialiter de vilo subiecto) vt hæc albedo, quæ quidem inhæret parieti, non tamen predicatur essentialiter de pariete, aut vilo alio: & huiusmodi sunt omnia accidentia singularia. *Alia de subiecto dicuntur, & in subiecto etiam sunt*, vt color qui inhæret parieti, & predicatur essentialiter de albedine, & huiusmodi sunt omnia accidentia vniuersalia. *Alia denique neque in subiecto sunt, neque de vilo subiecto dicuntur*, vt Petrus, qui neque inhæret vlli, neque predicatur essentialiter de vilo, & huiusmodi sunt omnes substantiæ primæ, seu omnia indiuidua substantialia.

Prima re-
gula ante-
predica-
mentali.

Præterea etiam Philosophus c. 3. posuit duas regulas: prima est: *Cum quidpiam de quopiam predicatur vt de subiecto, ea, quæ de predicato dicuntur, dicuntur etiam de subiecto*. Sic quia homo predicatur de Petro, & animal predicatur de homine, animal etiam predicari potest de Petro. Controuertitur autem inter commentatores, an hæc regula solum habeat locum in predicatis essentialibus, an etiam in accidentalibus: & licet Aristoteles videatur tantum voluisse comprehendere predicata essentialia, quia idem intelligit hic per predicari, vt de subiecto, quod intellexit per eadem verba cap. 2. ibi autem intellexit per

predicari de subiecto predicari essentialiter; tamen quantum ad rei veritatem existimo regulam posse intelligi vniuersaliter de quocunque predicato, modò non conueniat predicato vt abstrahit à subiecto, aut modò subiectum non habeat aliquod predicatum incompatibile cum illo predicato. Vnde quia dicitur de pariete, quod sit albus, & dicitur de albo, quod sit coloratum; dicitur etiam de pariete quod sit quid coloratum: quamuis autem dicatur de Petro, quod sit homo, & de homine quod sit species, non tamen dicitur de Petro quod sit species, quia species dicitur de homine vt abstrahit à Petro. Similiter quamuis dicatur de homine quod sit communicabilis, non tamen dicitur de Petro, quia Petrus habet predicatum oppositum isti predicato.

33. *Secunda regula est: Diuersorum generum & non subalternatum posteriorum diuersa sunt specie differentia: si vero subalternatum ponatur, easdem differentias habere possunt.*

Tribus mo-
dis genera
possunt esse
diuersa.

Vt intelligatur hæc regula, notandum est tribus modis aliqua genera dici diuersa, primò & propriissime illa genera dicuntur diuersa, quæ collocantur in diuersis predicamentis, vt animal, & scientia: secundò dicuntur genera diuersa, quæ sunt eiusdem predicamenti, si neutrum sub altero ponatur, sed vtrumque sub aliquo tertio. Tertio demum dici possunt diuersa genera, quæ in eodem predicamento collocantur, sed ita tamen, vt vnum sub alio ponatur, vt animal & viuens. Difficultas modò est quid intelligat Philosophus per genera subalternatum, aut non subalternatum posita.

CONCLUSIO I.

34. *Genera subalternatum posita sunt ita illa, quorum vnum sub altero collocatur, vt animal collocatur sub viuente, de quo nullus dubitat, quam illa, quæ collocantur sub aliquo tertio genere, quamuis neutrum sub altero collocetur, vt planta & animal. Hæc est communior, & contra Complutenses quoad secundam partem. Probatur quoad hanc partem: Philosophus 6. Top. c. 2. loco 41. expresse dicit genera subalternata non solum appellari ea, quorum vnum sub altero collocatur, sed etiam ea quorum vtrumque est sub tertio. Deinde ibidem ait: Et est certum, quod quæ ponuntur sub tertio genere, quamuis non subordinentur sibi inuicem, habeant differentiam communem, vt animal & planta habent differentiam constitutivam viuens sibi communem, sicut ipsum viuens est ipsis commune: sed in hac regula ait genera non subalternatum posita non habere differentiam communem: ergo signum est quod, quæ ponuntur sub tertio genere, quandoquidem habeant differentiam communem non sint genera non subalternatum posita. Hinc sequitur quod genera non subalternatum posita sint illa, quorum neutrum sub altero ponitur, neque vtrumque sub vilo tertio.*

Quæ sunt
genera
subalterna-
tum posita
secundum
Philoso-
phorum.

Dices cum Complutensibus: ex eo quod duo genera subalternentur alicui tertio, non sequitur, quod sint subalternatum posita inter se: ergo genera subalternatum posita debent esse vnum sub altero necessario, & cōsequenter, quæ non sunt vnū sub altero, non sunt subalternatum posita.

Confirmatur, quia secundum translationem Argirophili & Periony, hæc regula proponitur hoc modo: Quando genera diuersa sunt, nec vnum sub altero continetur, eorum etiam differentia specie differunt: eorum autem generum, quorum vnum sub altero collocatur, nihil prohibet easdem esse differentias: ergo intelligit Philosophus per genera, quæ dicit habere differentias diuersas, omnia, quorum vnum sub alio non continetur.

35. *Respondeo* negando consequentiam, quia aliud est, quod genera sint subalternatum posita, aliud quod sint inter se subalternatum posita. Primum dicimus nos de generibus, quæ continentur sub tertio genere, & non impugnatur bene hac obiectione. Secundum non dicimus de talibus generibus, & de illo solo procedit obiectio, quæ propterea non facit ad rem.

Ad confirmationem dico cum Conimbricensibus, translationem illā Argirophili non magis esse conformem Græco textui, quam Boetij, in qua non dicitur, genera, quorum vnum non ponitur sub alio, aut quorum vnum ponitur sub

sub

sub alio; sed genera subalternatim posita: & non subalternatim posita: imo hæc translatio præferenda est propter fundamenta nostræ resolutionis; si tamen illa Argiophilim nequeat cum ea concordari, quod difficile putant Comibricenses, potest tamen concordari, si dicatur, quod ex generibus illis, quæ continentur sub tertio, vnum etiã sub altero continetur, non quidem immediate & quasi alterum de altero prædicari possit, sed mediate, v. g. mediante illo tertio genere. Hoc supposito sit.

CONCLUSIO II.

Genera non subalternatim posita nullas differentias communes habent.

36. Genera non subalternatim posita, hoc est, illa quæ ponuntur in diuersis prædicamentis, & quæ propterea non ponuntur nec sub se inuicem, neque sub aliquo tertio genere ipsis communi, non solum habere debent aliquas differentias diuersas rationis, sed non possunt habere ullam differentiam communem. Hæc est communis cum Philosopho, qui in hoc distinguit genera subalternatim posita, à non subalternatim positis in hac regula, quod illa habere possint differentiam aliquam communem, hæc non possint: Probatur autem prima pars, quia nisi haberent aliquam differentiam diuersam, non possent esse diuersa genera.

Dices, substantia, vt sic, quæ est genus generalissimum prædicamenti substantiæ, & qualitas vt sic, quæ est generalissimum prædicamenti qualitatis, non habent differentias diuersas: sed tamen sunt genera non subalternatim posita, cum spectent ad diuersa prædicamenta: ergo genera non subalternatim posita non debent habere differentias. Probatur maior, quia aliàs constarent genere & differentia, & sic haberent supra se aliud genus.

Respondeo, hic capi per differentiam, illam formalitatem seu modum inuicem, quem genera prædicamentalia dicunt supra ens in quo conueniunt: certum autem est substantiam, & qualitatem habere, vel differentiam, vel modum inuicem, quo à se inuicem distinguantur ultra conceptum entis, in quo conueniunt. Vnde in forma Respondeo negando maiorem: & ad probationem dico, vel non esse inconueniens, quod constet genere, & differentia, vel id, si esset inconueniens, non securum quia solum quæ constant differentia proprie dicta, debent constare genere.

Respondeo secundò, conclusionem intelligendam de generibus diuersis, quæ constituuntur per differentias in esse tali, non verò de generibus diuersis, quæ non constituuntur diuersa per differentias, sed esse diuersa. Vnde in forma Respondeo distinguendo consequens: genera constituta per differentias, nego: non constituta, concedo; nec hoc est contra conclusionem.

37. Probatur secunda pars, quia nec possunt habere sibi communem ullam differentiam constitutiuam, aut diuisiuam alicuius superioris talis generis, cum in nullo tali conueniant: sed omnis differentia, quam includit res aliqua, aut est differentia constitutiuam alicuius superioris, aut diuisiuam superioris: ergo, si genera non subalternatim posita, hoc est, illa quæ ponuntur in diuersis prædicamentis, non conueniant in aliqua differentia constitutiuam, aut diuisiuam superioris generis, non conueniant in vlla prius differentia.

Confirmatur, quia si conuenirent genera diuersorum prædicamentorum in vlla differentia communi, eadem differentia pertineret ad diuersa prædicamenta, & consequenter etiam ipsamet genera spectarent ad diuersa prædicamenta, vt constituuntur per illas differentias, nam ad quodcumque prædicamentum spectat differentia, spectat etiam res constituta per ipsam.

Confirmatur secundo, quia eo ipso quo aliqua differentia esset communis rebus diuersorum prædicamentorum, illa differentia non esset prædicamentalis, sed transcendentalis. Regula autem prædicta Philosophi, & nostra resolutio intelligenda sunt de differentia communi prædicamentali; nam alias certum est genera & species omnium prædicamentorum conuenire in differentia seu modo intrinseco finitatis & limitationis, quæ tamen differentia seu modus intrinsecus, quia est transcendentalis, non

prædicat huic regulæ. Et idem est de modo essendi in alio, in quo conueniunt prædicamenta accidentium, & de modo essendi ad aliud, in quo conueniunt vltima prædicamenta & prædicamentum ad aliquid.

38. Per hoc autem patet ad difficillimam obiectionem, quæ posset opponi & regulæ Philosophi & nostræ resolutioni, nimirum: conuenit substantiæ materiali & quantitati ac qualitati, tanquam differentia, qua differunt à substantiis spiritualibus, exigere connaturaliter habere partes extra partes, & illa exigentia, saltem radicaliter sumpta, est de essentia ipsorum tam bene, quam inextensio radicalis est de essentia substantiæ spiritualis: ergo genera non subalternatim posita, v. g. substantia materialis seu non spiritualis vt sic, & accidens materiale vt sic, conueniunt in vna differentia, nempe in exigentia radicali extensionis suarum partium.

Nec valet dicere, quod illa exigentia sint diuersæ rationis, primò, quia licet haberent aliquam diuersitatem inter se, profecto potest abstrahi ab illis aliquis conceptus saltem imperfecte abstractus, qui secundum eandem omnino explicationem conueniat omnibus illis. Secundo, quia eodem modo posset dici quod sensitiuitas bruti, & sensitiuitas hominis non essent eiu'dem, sed diuersæ rationis, & sic genera subalternata, posita sub tertio genere non participarent eandem differentiam constitutiuam istius tertij generis contra omnes.

Respondetur ex dictis distinguendo consequens: conueniunt in vna differentia transcendentali, concedo; in vna prædicamentali non transcendentali, nego.

39. Dices: omnis differentia contractiuam generis generalissimi, & constitutiuam generis subalterni est prædicamentalis; sed illa exigentia radicalis extensionis, quæ conuenit substantiæ materiali, & per quam distinguuntur à substantia spirituali, est diuisiuam & contractiuam substantiæ vt sic, quæ est genus generalissimum ad esse substantiæ materialis, & constitutiuam illius substantiæ materialis, quæ est genus subalternum eiusdem prædicamenti substantiæ: ergo est differentia prædicamentalis.

Respondeo distinguendo maiorem: est prædicamentalis, id est spectans ad prædicamentum aliquo modo, concedo; est prædicamentalis, id est spectans ad vnum prædicamentum solum, nego maiorem, & concessa minori similiter distinguo consequens.

CONCLUSIO III.

40. Genera subalternata, quorum vnum scilicet sub altero collocatur, conueniunt formaliter & per se in aliqua differentia, non in omni. Hæc est extra controuersiam, & patet prima pars ex prima regula, quia quod conuenit per se formaliter superiori conuenit etiam inferiori contento sub ipso, verbi gratia quidquid conuenit viuenti formaliter & actualiter, conuenit etiam animali: sed differentia, qua contrahitur substantia vt sic ad substantiam viuentem, conuenit formaliter viuenti & actualiter: ergo conuenit etiam animali, & consequenter animal, & viuens conueniunt formaliter & actualiter in aliqua vna differentia, & idem est de omnibus similibus.

Probatur secunda pars, quia genus superius non includit per se actualiter differentiam diuisiuam sui, & constitutiuam inferioris: nec enim potest dici, quod viuens vt sic, sit formaliter & actualiter sensitiuum, sicut potest dici de animali, alias viuens, vt sic, esset animal, & consequenter omne viuens esset animal, quod est absurdum. Rursus animal non includit formaliter & actualiter differentiam contractiuam viuentis ad plantam, alias esset planta: ergo genera, quæ sub se collocantur, non conueniunt actualiter in omnibus differentiis. Si autem queramus, in quibus conueniunt actualiter, Respondeo quod in solis constitutiuis generis superioris.

CONCLUSIO IV.

41. Genera eiusdem prædicamenti non sub se collocata, sed sub aliquo tertio, necessario conueniunt in aliqua differentia communi ipsis, nempe in illa quæ est constitutiuam illius tertij generis, v. g. planta & animal, quæ collocatur sub viuente

Genera subalternata ratione tertij aliquando conueniunt in differentia communi diuisiuam, aliquando non.

Genera eiusdem prædicamenti non collocata sub se, necessario conueniunt in aliqua differentia.

viuente, conueniunt in differentia constitutiva viuentis, & in omni illa, quæ formaliter & actualiter conuenit ipsi. Hæc est certa & patet ex prima regula, quia quod conuenit superiori per se primo conuenit inferiori: quæ est ratio qua probauimus primam partem conclusionis præcedentis.

CONCLUSIO V.

Aliqua talia genera non conueniunt in aliqua differentia diuina ipsius generis tertij, aliqua conueniunt. Hæc est Boëtij & Simplicij quos sequitur Ogna hic & Merinerus contra Complutenses.

42. Talia genera aliqua non conueniunt in aliqua differentia diuina ipsius generis tertij, aliqua conueniunt. Hæc est Boëtij & Simplicij quos sequitur Ogna hic & Merinerus contra Complutenses.

Probatur prima pars, quæ non est in controuersia, quia substantia corporea ut sic & substantia spiritalis ut sic, quæ ponuntur sub substantia ut sic, non conueniunt in aliqua differentia diuina substantiæ ut sic: neque enim assignari potest vlla differentia diuina substantiæ ut sic finitæ, quæ est supremum genus prædicamenti substantiæ, quæ differentia conueniat & substantiæ materiali ut sic, & substantiæ spiritali ut sic.

Probatur secunda pars, quia animal gressibile bipes, & volatile bipes, quæ sunt genera non subalternata sibi, sed subalternata alicui tertio, verbi gratia animali, conueniunt in differentia bipedis, quæ diuiditur animal, ut sic, ab animali quadrupede ad animal bipes.

Respondent Complutenses, esse bipes & quadrupes esse differentias materiales, non formales animalium, bene autem posse genera huiusmodi conuenire in aliqua differentia materiali communi, non vero in essentiali.

Contra, quia est omnino essentialiter animali, quod est naturaliter bipes, exigere connaturaliter duos pedes, & idem est de animali quadrupede, non minus quam est essentialiter homini posse discurrere, loquendo de potentia radicali, & exigentia radicali.

43. Probatur secundo, quia quantitas continua permanens, & discreta permanens, quæ sibi inuicem non subalternantur, sed quantitati ut sic, conueniunt in differentia permanentiæ, quæ est diuina & contractiua quantitatis ut sic à quantitate successiua ad permanentem: ergo aliqua talia genera conueniunt in differentia diuina superioris generis.

Respondent Complutenses illam differentiam permanentiæ esse differentiam non essentialiter sed accidentalem, quia quando aliquid diuiditur pluribus diuisionibus, alterutra debet esse per differentias accidentales, unde quia quantitas, ut sic, diuiditur in continuam ac discretam, & in permanentem ac successiuam, propterea alterutra debet esse per differentias accidentales: id autem potius est dicendum de successione ac permanentia, quam de continuatione ac discretione: non est autem secundum ipsos inconueniens, quod genera huiusmodi conueniant in eadem differentia accidentali.

Contra: non potest assignari vlla ratio, cur successio & permanentia non sint differentia tam essentialiter diuidentes quantitatem ut sic, quam continuatio & discretio; & gratis asseritur, quod res aliqua non possit diuidi pluribus diuisionibus essentialibus. Deinde illa quantitas permanens, quæ est successiua, exigit essentialiter successionem, & idem est de quantitate discreta, & non exigunt illam ratione quantitatis ut sic: ergo ratione talis quantitatis; & consequenter conueniunt essentialiter in illa taleitate, quæ est differentia essentialis eorum à quantitate non exigente successionem.

44. Probatur tertio, quia substantia materialis intellectiua, & substantia immaterialis intellectiua non subalternantur sibi, sed bene substantiæ ut sic; & tamen conueniunt in differentia intellectiuitatis ut sic, quia substantia ut sic diuiditur immediate, & contrahitur à substantia non intellectiua ad substantiam intellectiuam. Mille alia exempla possent adduci ad probandam hanc conclusionem, sed hæc sufficiunt.

Confirmatur, quia nihil impedit quo minus possent conuenire talia genera in differentia communi diuina generis, cui subalternarentur: ergo dicendum est ita posse contingere, præsertim cum non nisi difficillime possint solui hæc fundamenta, & nullo negotio possint fundamenta oppositæ sententiæ, pro quo,

45. Obiiciunt primò: diuersa genera, quorum vnum non est sub alio, sunt diuersa potentia metaphysica essentialiter distincta: ergo correspondent illis actus essentialiter distincti, sed differentia diuina generis superioris sunt actus generis, cui actualiter conueniunt: ergo generibus essentialiter diuersis correspondent differentia diuina essentialiter diuersa.

Confirmant, quia genus & differentia diuina assimilantur materiæ primæ & formis substantialibus: sed materiæ diuersæ speciei non possunt informari formis eiusdem rationis: ergo nec genera diuersæ rationis possunt constitui differentiis diuinis eiusdem rationis.

Respondet, distinguendo consequens: aliqui actus distinctæ rationis, concedo, quia alias non essent distincti; omnes actus distinctæ rationis ita, ut non possint conuenire in vno actu, seu differentia diuina eiusdem rationis, nego consequentiam, & concessio subsumpto, similiter distinguo secundum consequens.

Ad Confirmationem respondeo, quidquid sit de veritate doctrinæ istius, nimirum quod materiæ diuersæ rationis nequirent informari formis eiusdem rationis (quæ facile negari posset) assimilationem illam non debere esse in omnibus: quod probò manifeste in hac ipsa re, quia licet materiæ eiusdem rationis possint aduenire formæ quantumuis diuersissimæ rationis, & non subordinatæ sibi, tamen generi eiusdem rationis non possunt aduenire omnes differentia diuina sui generis superioris.

Confirmatur, quia idem genus potest habere & differentiam constitutiuam superioris, & differentiam constitutiuam sui ipsius, v. g. animal viuentiam & sensitiuitatem: sed eadem materiæ nequit habere plures formas, maxime secundum aduersarios; ergo non est idem dicendum quoad omnia de materiæ & genere; unde concessio minori nego consequentiam.

46. Obiicies secundò: Eadem species non potest esse sub diuersis generibus, quorum vnum non fit sub alio v. g. sub animali & planta, aut substantia spiritali & materiali: ergo diuersa genera, quorum vnum non fit sub alio nequeunt habere eandem differentias. Probat consequentiam euidenter suo iudicio, quia sicut differentia constituit speciem, ita vna & eadem differentia, vbi cumque sit, constituit eandem speciem; alias differentia non conuerteretur cum specie, tollereturque locus arguendi à differentia ad speciem.

Respondet concedendo antecedens & negando consequentiam: ad cuius probationem dico differentiam ad quamquam constituere speciem adæquate, & illam esse conuertibilem, & nunquam reperi sine specie; differentiam verò inadæquatam speciei, qualis est illa, quæ est communis illi cum alia specie, non esse conuertibilem cum specie, nec cum ea reperi speciem semper, nec valere ab ea argumentum ad speciem.

Aduertendum autem, quotiescumque differentia aliqua diuina alicuius generis est communis pluribus aliis generibus contentis sub illo genere, & quorum vnum alteri non subalternatur, dati aliquod aliud genus illis commune præter illud genus, cuius differentia diuina competit ipsi; verbi gratia substantia materialis intellectiua, & substantia spiritalis intellectiua conueniunt in intellectiuitate, ut sic, quæ est differentia substantiæ, ut sic, diuina ipsius & contractiua, à substantia non intellectiua ad substantiam intellectiuam; & illæ duæ substantiæ intellectiue, non solum conueniunt in ratione substantiæ, ut sic, tanquam in genere; sed etiam in ratione substantiæ intellectiue, ut sic, quæ substantia intellectiua, ut sic, quandoquidem prædicetur de ipsis in quid incomplete, habet rationem generis respectu ipsorum tam bene quam substantia ut sic.

48. Similiter quantitas permanens continua, & quantitas successiua continua, quæ conueniunt in ratione continuationis, quæ est differentia diuina quantitatis ut sic, non solum conueniunt in genere quantitatis ut sic, sed etiam in genere quantitatis continuæ: & similiter quantitas discreta permanens, & quantitas continua permanens non solum conueniunt in ratione quantitatis ut sic, sed in ratione

ratione quantitatis permanentis, tanquam in ratione generica. Denique animal volatile bipes, & terrestre bipes non solum conueniunt in ratione animalis vt sic, sed in ratione etiam animalis bipedis.

Et si dicatur, quod hinc sequeretur quod illa duo genera non essent immediate subordinata generi illi tertio, cuius differentiam diuisuam participarent, sicut homo & brutum nō sunt immediate sub viuentē, sed sub animali.

Respondetur, ea non esse immediate sub ipso sic, quin sint sub alio genere æque aut magis ipsis immediato; sed sunt immediate sub ipso; quatenus differentia illa, quam participant, est immediate diuisiua illius generis.

DISPUTATIO XI.

DE PRÆDICAMENTIS
in communi.

PRIVSQVAM ad considerationem Prædicamentorum in particulari descendamus, in hac disputatione ea, quæ communiter ad omnia spectant examinabimus; relicta tamen pro Metaphysica illa celeberrima difficultate de vniuocatione entis ad decem prædicamenta.

QVÆSTIO I.

An diuisio entis in decem Prædicamenta sit bona & adæquata.

I. DE numero prædicamentorum variæ erant Philosophorum opiniones, quibusdam vnum, quibusdam duo, aliis tria, aliis quatuor, aliis quinque, aliis sex, aliis septem, aliis nouem, aliis decem, aliis vndecim, aliis viginti, aliis plura adhuc statuētibz. Communior sententia est Peripateticorum, decem esse prædicamenta, cuius tamen numeri fatetur communiter tam Thomistæ quam Scotistæ non posse assignari nec a priori, nec a posteriori euidenter aliquam rationem, sed solum probabilem; quæ ratio probabilis communis Philosophorum sensu innixa sufficere debet, vt ille numerus teneatur.

Quod ad me attinet non dubito quin res omnes, ac entia possint commodissime in varias classes diuidi, pauciores aut plures quam decem, prout placuerit alicui eas diuidere; quæ sententia est expresse *Auersæ* hic, & in eam videtur inclinare illi auctores, qui negant diuisionem entis in decem prædicamenta posse euidenter ratione probari. Moueor autem ad hoc, quia si quis vellet intelligere per prædicamentum coordinationem rerum omnium sibi inuicem secundum subiectibilitatem & prædicabilitatem subordinatarum, supra quas non reperitur vlla ratio communis ab abstracta ab illis; tum necessario res omnes in vnum prædicamentum, seriem, seu classem reducere deberet: quia si plures series entium statueret, quandoquidem nullum possit assignari præmū genus vilius ex illis classibus, de quo ens prædicari non posset in quid, & quidem in nostra sententia vniuoce, nulla classis ex illis haberet rationem prædicamenti, hoc modo sumpti, vt patet.

2. Rursus, si quis vellet per prædicamentum intelligere seriem & classem rerum aliquarum vsque ad certum aliquem gradum seu formalitatem, quæ non esset omnibus rebus seu entibus communis, & supra quem gradum non daretur vllus superior gradus, qui non conueniret omnibus rebus, nō posset res omnes ad vnum prædicamentum reuocare, quia necessario reperirentur aliquæ res, de quibus ille gradus superior, qui non eque late pateret acens, nequireret prædicari: sed bene possent res omnes hoc modo ad duo prædicamenta reuocare, nimirum ad prædicamentum substantiæ, vt sic, & accidentis vt sic: quia supra substantiam non est aliquis gradus, qui non sit communis omnibus omnino rebus; & præterea nulla prorsus res est assignabilis, quæ non contineatur sub substantia, aut accidente, aut tanquam aliquid, de quo substantia & accidentis prædicari possit; aut quod non sit constitutum alicuius, de quo prædicari possit; aut proprietas talis rei.

3. Præterea, si aliquis vellet per prædicamentum intelligere coordinationem rerum aliquarum inter se vsque ad certam aliquam formalitatem aut gradum, quæ omnibus istis rebus sit communis, siue habeat aliquam formalitatem aliam communiorē supra se, quæ & illis rebus & aliis conuenire possit, poterit res omnes in tria prædicamenta, vel quatuor, vel quinque, vel sex, vel decem, vel vndecim, vel plura diuidere, & diuisio erit bona, si ita illas classes rerum assignauerit, vt nulla sit res quæ ad aliquam ex illis non pertineat: si vero aliqua esset res, quæ ad nullam ex illis pertineret, male assignaretur numerus prædicamentorum rerum omnium, vt patet.

Quod autem posset ad tria prædicamenta seu classes omnia reuocare, capiēdo prædicamentum hoc modo, patet, quia posset assignare coordinationem vnam omnium rerum, quæ conuenirent in ratione substantiæ vt sic vsque ad gradum substantiæ, & aliam coordinationem rerum omnium, quæ conuenirent in ratione accidentis absoluti vt sic; & tertiam coordinationem seu seriem rerum omnium, quæ conuenirent in ratione accidentis relativi vt sic, nec vlla esset res, quæ ad aliquam ex illis classibus non spectaret.

Posset etiam assignare coordinationes rerum omnium, quæ conuenirent in ratione substantiæ immaterialis, & alia coordinationem rerum, quæ conuenirent in ratione substantiarum materialium, & ex illis facere duo prædicamenta distinctissima ex natura sua, præterquam quod conuenirent in ratione substantiæ vt sic; quæ conuenientia non impediret intentionem, sicut nec conuenientia accidentium omnium in ratione accidentis vt sic, de facto impedit, quominus statuatur varia prædicamenta accidentium.

4. Præterea posset diuidere accidentia omnia in spiritualia, & materialia, & ex spiritualibus facere vnam coordinationem, ac ex materialibus alteram, & ex his duabus coordinationibus facere quatuor prædicamenta, in quibus omnes res reperirentur nulla excepta. Rursus posset facere vnam classem ex relationibus intrinsecis aduenientibus, & aliam ex extrinsecis aduenientibus quæ duo prædicamenta cum tribus prædicamentis de facto assignatis substantiæ, quantitatis, qualitatis, facerent quinque prædicamenta, in quibus adæquate diuideretur ens vt sic, quia nullum ens esset assignabile, quod ad alterum non spectet.

Quod si diuideret substantiam in duas classes, materialium, & spiritualium, aut rationalium & irrationalium, & relinqueret alia nouem prædicamenta, vt nunc sunt, essent vndecim prædicamenta. Et si vterius diuideret qualitates in spirituales, & corporales, essent duodecim prædicamenta. Ex quo, ne longior sum patet, varia rerum prædicamenta, & dari a parte rei, hoc modo accepto prædicamento, & assignari, ac concepti posse ab intellectu, & voce exprimi. Et sane existimo numerum decem prædicamentorum de facto assignatum in hac acceptione prædicamenti debere fundari.

5. Pro quo numero, & sufficientia eius seu sufficientiā diuisionis entis finiti, quod solum suppono fuisse diuisum in hæc prædicamenta decem (de quo postea) aduertendum est diuisionem alicuius in aliqua membra esse bonam, quotiescumque diuisum adæquatur diuisioni, & diuisa ipsi, ita vt diuisum non habeat vllum aliud membrum diuidens, quod non sit aliquod ex illis diuisionibus, aut quod non contineatur sub aliquo ex illis, & ita etiam, vt prædicari possit de quolibet ex diuisionibus, & vt ipsa diuisa distinguantur a se inuicem; nec refert quod possit diuidi in plura membra, aut in pauciora, modò habeat hanc adæquationem cum illis diuidentibus, & illa diuidentia inter se distinguantur; nec etiam refert, quod non esset potior ratio cur in tot determinate diuideretur potius, quam in plura, aut pauciora, modò obseruetur adæquatio illa & distinctio diuisionum, & præterea viteretur nimia confusio, quæ oriri possit, si vel nimis multiplicarentur membra diuidentia, aut nimis restringeretur ad valde pauca membra, in quo tamen respici potissimum debet finis diuisionis: nam si volo ostendere, quod aliquod ens sit substantia, & possim ostendere quod non habet rationem accidentis,

Possent res omnes ad tria prædicamenta reuocari.

Ens posset diuidi in plura ac pauciora prædicamenta quā decem.

Possent res omnes ad duo prædicamenta reuocari.